



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

72. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

una mortifera potione aliam utcunque mederi cupientes, ne geminetur scelus adulterij & homicidij, damus consilium ut unusquisque sacerdos in sua plebe publicè adnuntiet ut si aliqua femina clanculò corrupta conceperit & pepererit, nequaquam diabolo cohortante filium aut filiam suam interficiat, sed quocunque prævalet ingenio, ante januas Ecclesiæ partum deportari faciat, ibique proici; ut coram sacerdote in crastinum delatus, ab aliquo fidei suscipiatur & nutriatur, & tali ex causa homicidij reatum &, quod majus est, parricidij evadat. Nam qui filium aut filiam interficit, parricida omnimodis teneatur.

Burchard. lib. 3. c. 200.

De eadem re. *Ex Lege Theodosiana*  
*lib. v. cap. VII.*

LXX. Quicumque expositum recenti partu sciente patre vel matre vel domino collegerit, & suo labore educaverit, in illius à quo collectus est potestate consistat, seu ingenuum seu servum quem nutrit esse voluerit.

Interpretat. l. i. Cod. Theodof. De expositis.

De eadem re. *Ex eodem.*

LXXI. Qui expositum puerum vel puellam sciente domino vel patrono misericordiæ causa collegerit, in ejus dominio permanebit; si tamen contestationi de collectione ejus Episcopus vel Clerici subscripserunt; quem potestea suum dicere quis non poterit, quem projecisse probatur ad mortem.

Interpret. l. 2. Cod. Theodof. tit. eod.

De eadem re. *Ex eodem.*

LXXII. Si quis infantem à sanguine nu-

L. un. Cod. Theodof. De



his qui sanguinol.

trierit, habendi eum & possidendi habeat potestatem. Sanè si nutritum dominus vel pater recipere voluerit, aut ejusdem meriti mancipium nutritori debet donare, aut pretium nutritor, quantum valuerit qui nutritus est, consequatur. [ *Vide lib. 4. leg. Visigothor. tit. 4. cap. 1.* ]

De homicidiis. *Ex Concilio Turonensi.*

Concil Turon. 1. c. 7.  
Burchard. lib. 6. c. 30.

LXXIII. Homicidis penitens non communicandum, donec per confessionem penitentiae ipsorum crimina diluantur.

De his qui uxores occidunt. *Ex Concilio Mogontiacensi.*

Burchard. lib. 6. c. 38.

Levit. 19.

Deuter. 1.

LXXIV. Si maritus uxorem aut uxorem maritum interfecerit, æquum judicium sit super eos, dicente Domino: *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Et post pauca: *Ita, inquit, parvum audietis de magnum; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* Idcirco uterque eorum in hujuscemodi criminis accusatione, si negaverit, pari judicio examinetur.

De eadem re. *Ex Capitularium libro III. cap. LXXXIX.*

Lib. 1. Capitular. c. 67.

LXXV. Ut homicidia infra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causa ultionis nec avaritiæ nec latrocinandi fiant. Et ubicunque inventi fuerint, à judicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur. Et non occidatur homo nisi lege jubente.